Noverint universi Quod Ego Franciscus Cipriani cansiderius et civis Gerunde procurator ad infrascripta [illegible] legitime constitutus a Francischo Sagueri pintanerio habitatore ville Castilionis Impuriarum domino utili et proprietario mansi vocati Castello Arnau siti in parrochia Sancti Martini de Ermedans Et habens ad ipsa plenum et liberum posse infrascripta et plura alia faciendi prout constat et fidem facio instrumento dicte mee procuracionis confecto vicesima sexta die mensis aprilis proxime preteriti anno Nativitatis Domini Millesimo Trecentesimo Nonagesimo primo et clauso per Petrum Pellicerii notarium publicum dicte ville Castilionis auctoritate domini Comitis Impuriarum sciens et attendens quod utile est dicto Francisco Sagueri principali meo quod ego nomine jamdicto faciam renunciacionem infrascriptam de dicto manso vocato Castello Arnau et eius terris et possessionibus quod ipsum et ipsas tenere ad [illegible] ultra sine cultura derelictum [?] [illegible] hominum et mulierum et ad census et jura per ipso manso et eius terris et possessionibus fieri et prestari assuetos et assueta Ideo per ipsum Franciscum Sagueri et omnes heredes et successores suos Gratis et ex certa sciencia attentis predictis aliis quod attendendis per utilitate ipsius in et super hiis ex causis premissis et aliis cognitis et attentis certifficatus ad plenum de jure suo super istis Renuncio pro dicto [illegible] in manu et posse notarii subscripti ut infra stipulantis venerabili domine Cathalane de Fixano sacristane Monasterii Sancti Danielis Gerunde licet absenti tamquam presenti domine directe racione dicti officii sacristie dicti mansi vocati Castello Arnau siti in dicta parrochia Sancti Martini de Ermedans quem dicta venerabilis sacristana racione dicte sacristie tenet quo ad directum dominium ut [?] Scilicet cum omnibus et singulis suis honoribus possessionibus et pertinenciis eiusdem et omne aliud jus sibi pertinens aut pertinere debens nunc vel eciam in futurum per dicto manso et eius terris possessionibus et pertinenciis suis quocumque titulo causa jure vel modo Qui quidem mansus dicto principali meo fuit stabilitus per venerabilem dominam Geraldam Dei gracia abbatissam dicti Monasterii Sancti Danielis tunc regentem officium dicte sacristie prout constat instrumento facto Secunda die mensis Junii anno Nativitatis domini Millesimo Trecentesimo Septuagesimo octavo In posse discreti Petri Pinos notarii Gerunde Ita quod amodo dicta domina sacristana et omnes successores sui in dicta sacristia possint dictum mansum et eius terras et possessiones in toto vel in parte dare vendere stabilire et alias quomodolibet alienare tamquam de re sua propria Et hoc sine condicione et impedimento dicti mei principalis et suorum et omnia alia et singula libere facere et exercere in predictis et circa predicta quecumque et prout dictus principalis meus facere poterat ante huiusmodi instrumenti confeccionem et presentem renunciacionem Ego enim premisso nomine vigore et ex causa huiusmodi renunciacionis dono et cedo dicte domine sacristane et suis successoribus in dicta sacristia In predictis omnia jura et loca predicti principalis mei et omnes voces vices raciones et acciones suas reales et personales et alias quascumque eidem principali meo et suis ibi et inde pertinentes et pertinere debentes et pertinencia et pertinere debencia quoquomodo Quibus juribus et accionibus suis predictis possit dicta domina sacristana et sui successores in dicta sacristia et quos voluerit super predictis uti agere et experiri in judicio et extra tam in agendo quam in defendendo quam in cunctis aliis modis et contra cunctas personas prout ipse principalis meus facere poterat ante huiusmodi instrumenti confeccionem et presentem renunciacionem et posset eciam facere amodo quandocumque volens eciam et mandans nomine predicto tenore huiusmodi publici instrumenti vicem epistole gerentis in hac parte universis et singulis personis que dicto principali meo [illegible] que ut preferentur racione ut est dictum respondere et satisfacere tenerentur quod amodo dicte domine sacristane et suis successoribus et quibus voluerit de predictis per me ut predicitur diffinitis cessis et renunciatis respondeant et satisfaciant prout inde jamdicto principali meo respondere et satisfacere tenebantur ante huiusmodi instrumenti confeccionem et tenerentur eciam quandocumque Quam ego nomine predicto constituo et facio dictam dominam sacristanam et suos successores in eadem sacristia imperpetuum in predictis veros dominos et procuratores ut in rem suam propriam ad faciendum inde que superius continentur et alias suas omnimodas voluntates sine aliquo retentu que in premissis vel subscriptis nomine predicto non facio ullomodo prestando tamen expresse quod dictus principalis meus vel sui deinde aliquos census servitutes aut jura in et pro dicto manso et eius pertinenciis facere vel prestare minime teneantur Et insuper pro maiori et tuciori cautela de predictis habenda Et ad hoc ut ne dictus principalis meus possit de cetero per hiis modo aliquo reprehendi trado realiter et de facto Francisco Vitalis notario infrascripto instrumentum dicti stabilimenti et quoddam aliud instrumentum cessionis octo librarum per dictam dominam Geraldam abbatissam facte dicto principali meo quod fuit factum dictis die et anno quibus dictum stabilimentum fuit actum et clausum per dictum Petrum Pinos notarium quequidem instrumenta tradi volo et mando per dictum notarium dicte domine sacristane seu eius procuratori Et sic per dictum Franciscum Sagueri principalem meum et suos promitto dicte domine Cathalane licet absenti et dictis suis successoribus et vobis dicto Francisco Vitalis notario infrascripto tamquam publice persone hec et infrascripta a me premisso nomine legitime stipulanti et recipienti nomine dicto et omnium quorum interest et intererit ac poterit interesse ac eciam sponte juro in animam dicti principalis mei per Deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter a me tacta predicta omnia et singula rata grata et firma semper habere tenere et firmare et nullatenus contrafacere vel venire jure aliquo sive causa Actum est hoc Gerunde tricesima prima die mensis Julii anno Nativitatis domini Millesimo Trecentesimo Nonagesimo primo Signum Francisci Cipriani predicti Qui hec nomine quo supra firmo et laudo pariterque juro Testes huius rei sunt discretus Johannes de Fontecorpore notarius Gerunde et Bernardus Ferrarii filius Petri Ferrarii feriarius de Capiano

Signum Francisci Vitalis notarii publici substituti auctoritate [illegible] de Campolongo publici Gerunde [illegible] baiulie et vicarie Gerunde [illegible] qui hec scripsi et clausi

Sacristia
Ermantera
Mas Castello

nº 1007

T.321 x 470

Renunciació del mas Castellyo, o Castello arnau de Ermantera feta en favor de la sacristia de S.t Daniel per lo procur. de Francesc Saguer pantiner de Castello de [illegible] N 31 juliol 1391

[illegible]

N.º 7 [illegible] de S.t Daniel

[illegible] 1391

(1008)

Carta de renunciacio del mas Castello Arnau de Ermentera feta per Francesch Saguer a la sa sacristana de St. Daniel